



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum Vnicvm eodem titulo in Sexto. Si Laicus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

seu Ecclesiasticus, seu Laicalis, se vocat beneficij collatorem, aut beneficij concessionem, seu collationem ad se pertinere; nam ex abusu vocabulorum facile consequitur abusus potestatis, maximè si Patronus Laicus, qui presentationes suas magna reputant beneficia, eaque occasione non raro Simoniæ, & Ecclesiasticæ immunitatis violationes committuntur. Videri hîc potest *Abbas n. 5.*

<sup>2</sup> Notandum secundum, Aliquis audiendus est, si velit retractare proprium factum, propterea, quia id tendit in præjudicium Ecclesiæ, aut præjudicium personæ tertiæ, aut in damnum animæ suæ. Ita sumitur ex hoc e. Videri possunt, quæ docui in *c. ex tenore 13. de concess. præb. & in disp. de alien. thes. 7.*

### CAPITULUM VNICVM eodem titulo in Sexto.

#### Si Laicus:

##### PARAPHRASIS.

Si Jus Patronatûs à Laico conferatur eidem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco religioso, collatio, etiam si sine consensu Episcopi facta sit, efficax censenda est: per hoc tamen juri Episcopi, qui assensum non præbuit, Pontifex non vult derogari.

##### SUMMARIUM.

1. *Quomodo in Ecclesiam, locum pium, aut alium compatronum transferre possit Patronus Laicus jus Patronatûs?*
2. *Si ad Ecclesiam transferatur, induit naturam Patronatûs Ecclesiastici.*
3. *Si Clericus & Laicus sint compatroni respectu ejusdem beneficii, sex menses ad præsentandum conceduntur.*

<sup>1</sup> Notandum primum. Patronus Laicus jus Patronatûs liberè concedere potest Ecclesiæ, aut loco religioso. Ita etiam docui in *c. 5. & c. illud 2. extrav. hoc tit.* Est autem sermo tantùm de jure Patronatûs Laici,

id est, quod alicui, seu Clerico, seu Laico competit jure proprio; secus si jure Ecclesiæ, quandoquidem talia jura alienari non possunt sine Superioris autoritate, & alijs Canonicis solemnitatibus juxta *tit. Decret. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Unde autem textus nomine generali concessio- nis, ut intelligatur non tantùm donari potest se jus Patronatûs, sed etiam testamentis relinqui &c.

Notandum secundum, Patronus Laicus jus Patronatûs, quod habet in Ecclesiâ, seu loco Ecclesiæ donare potest: quo in casu ait *Gloss. V. eidem Ecclesiæ* est Patronus ipsius, dummodo plures ministros habeat; sin autem unicus sit Presbyter, sine Parochus, & jus Patronatûs donatum, seu remissum sit parochiæ, tum Episcopus libet providebit. Hanc Glossam sequitur hic *dechoranus* sed impugnat *Francus n. 4.* utque in casu isto extinguatur jus Patronatûs, & Ecclesiâ liberè collationis fieri; nam jus Patronatûs est veluti servitus Ecclesiæ, aut beneficij, non potest autem eadem res habere servitutem erga seipsam, siue servituti sibi ipsi *L. si quis ædes 30. ff. de servit. urbanorum prædiorum*, ubi dicitur, si enim ædes, quæ erga tuas ædes servitutem gerant, confusam, extinctamque servitutem conferri. In hac controversia respondeo, veluti *Glossæ*, quod Ecclesiâ esse possit patronus ipsius, eo sensu vera esse, quod Ecclesiâ habeat jus Patronatûs in ordine ad beneficia sibi incorporata; quod sanè evidens est, si Ecclesiâ collegiata sit, imò, etsi non sit collegiata, habeat tamen plura beneficia, cum in isto casu jus Patronatûs est servitus beneficiorum; at verò respectu Ecclesiæ, & Actoris ejus jus præsentandi ad beneficia libentis non est servitus, sed potestas, et veluti privilegium quoddam. Sin autem Patronus ipsi beneficio, v.g. Capellanæ, remittat jus Patronatûs tanquam aliquam servitutem ejus, tunc beneficium confusum & extinctâ servitute liberè collationis extinguitur, ut dictum est. Idemque est, si Ecclesiâ non Collegiata remittatur jus Patronatûs, quod

quod Patrono competeat ad instituendum Rectorem, uti eadem Glossa indicavit, & sumitur ex *c. significavi 41. ubi e. And. n. 5. de test.* Sed & idem dicendum, si Episcopo ratione dignitatis suæ donetur jus Patronatûs, tunc si ad eundem pertinebat institutio, post factam donationem, seu remissionem collatio libera fiet: nisi donans habuerit compationem, hoc enim in casu Episcopus tanquam Patronus unâ cum Compatione præsentabit, & tanquam Diocæsanus instituet, uti hic *Lapus* notat *n. 3.*

Norandum tertium. Si Patronus Laicus jus Patronatûs loco religioso donet sine Episcopi consensu, nullum ipsi præjudicium generatur: sed etsi Episcopi consensus accesserit, nequaquam tamen jus Episcopale læditur, si de sola juris Patronatûs translatione actum sit, uti *And. hic* monet. Secus si etiam Episcopus cum consensu Capituli, aliisque adhibitis solemnitatibus concessionem Ecclesiæ fecerit juxta *c. pastoralis 7.* ubi docui *de donationibus.*

§.

## Verum.

## PARAPHRASIS.

Licet Patronus Laicus ad præsentandum 4. tantum menses habeat, si tamen jus Patronatûs ad Ecclesiam seu monasterium transtulerit, 6. postea menses conceduntur, & universim, quod attinet ad præsentationem, non ut Laicus sed ut Ecclesiasticus Patronus judicari debet Ecclesia, ex quo translatio facta.

<sup>2</sup> Notandum unicum. Si Patronatus Laicus ad Ecclesiam transferatur, efficitur Ecclesiasticus. Ita *hic.* Sed contra objici potest, quod sicuti res transit cum onere suo *c. ex litteris 5. de pignoribus*, ita etiam transit cum privilegijs, juribus, & affectionibus suis. Accedit, quod in regula *46. in 6.* habetur: *is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, ut debet.* Respondet *re. c. Pius super citatâ regulâ n. 9. Francus*

*hic. colum. 2. & 3.* distinguendum esse, num onus, aut privilegium adhareat rei secundum se tanquam affectio ejus, tunc transit ad quemvis possessorem, aut successorem; an verò onus, jus, aut privilegium adhareat rei non per se, sed per accidens, seu in ordine ad personam, quod in jure dici solet onus, aut privilegium personale, id non transit ad successorem, aliumve possessorem juxta regulam *7. in 6. & regulam 68. in fine.* Exempla multa sunt. Primum. Privilegia mulieris, quæ habet in rebus dotalibus (ut habeat tacitam hypothecam in bonis mariti, & præferatur alijs creditoribus tacitam hypothecam habentibus) quia personæ contemplatione data sunt, non transeunt ad heredem ejus *L. unica. cod. de privilegijs dotis*, præterquam si filius hæres sit *L. ult. cod. qui potiores in pignore.* Secundum. Privilegium, quod habet pupillus, ut præferatur alijs creditoribus in bonis tutoris, aut qui pro tutore se gessit, non transit ad heredem pupilli. Tertium. Immunitas à decimis in religiosis, aut leprosis in communi viventibus concessa in agris, & hortis suis non transit ad alios successores, etiam conductivos, colonos. *cap. ex parte 10. c. licet 11. de decimis.* Quartum. Si ædes, aut ager ad Ecclesiam pertinens à vengali, aut tributo immunitatis Laico vendatur, sit tributis obnoxius; sed & vice versa, si ager, aut ædes exactionibus obnoxie propter possessores Laicos, qui Domino loci subijciuntur, venditione, aliòve titulo transferantur ad Ecclesiam seu personam Ecclesiasticam, tollitur ab ijs onus tributis, quare in hujusmodi oneribus, quæ contemplatione personæ imposita sunt, regula traditur à DD. in *L. cum quis 38. ff. de solutionibus*, *Anchorano hic not. 6.* quod mutatâ personâ mutatur res, prout latius explicavi *l. 4. rr. 2. c. 6. n. 4.* Quintum. Si beneficij collatio devoluta sit ad Ordinarium, quia Patronus Laicus intermisit intra 4. menses præsentare, vel quia Papa intra mensem beneficia vacantia in curia non contulit juxta *c. 3. de præbendis in 6.*

Q99 3

ordi-

Ordinarius ad conferendum habet 6. menses juxta c. 2. de concess. prob. & docet hic <sup>3</sup> Franc. n. 3. And. in cit. c. 3. n. 1. His addenda est doctrina Gloss. hic v. Ecclesiasticus. Si Laicus & Clericus Compatrioti sunt, Laicus ob communionem cum Clerico eodem quoad tempus semestri, praesentandi jure fruitur, nam universim dicendo socius per se non privilegiatus propter communionem cum socio privilegiato jure, aut jure indivisibili commodum, & privilegium participat, juxta L. si communem 10. ff. quemadmodum servitus amittitur, ubi Glossa & DD. aiunt, quod privilegium unius consortis videlicet pupilli prodest alteri consorti non pupillo in re indivisibili.

Aliud exemplum affert hic Lap. n. 7. Franc. n. 1. Abbas in c. ult. extra hoc tit.

Si duo sint Patroni Clericus & Laicus, quod Legatus à latere derogare non possit, patronatus, contradicente Laico, seu Patrono Laico repugnante. Item si duo sint Patroni Ecclesiasticus & Laicus, fructus Laicus privilegio Ecclesiastici, ut jus Patronatus, in praescriptionis ipse etiam non amittat, nisi 40. annis argum. cit. L. si communis & ex communi docet hic Anchor. in fine c. Ratio regulae dari debet. secundum Covarruv. in praed. quest. n. 4. quia si aliter fieri non potest, propter rei indivisibilitatem, aequius est, ut socius commodum consequatur ex loco privilegiato, quam ut locus privilegii damnus ferat ex socio non privilegiato.

privilegiato,  
\*  
\*

## TITULUS XXXIX.

### DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.



Uta prior Rubrica onus, quod Ecclesijs nonnunquam impositum est, jus Patronatus scilicet, examinat, idem in hoc loco de alio onere seu servitute Ecclesiarum, & beneficiorum adjungitur, videlicet de Censibus.

bus, a reis, vel de hortis, juxta Ecclesiam positus; neque de oblationibus fidelium conveniri possint; neque ad ullum servitium, praeter Ecclesiasticum, de manibus tali obligari possint, ita tamen, ut de alijs, quae praeter mansum talem oblationis, suum servitium debeant impendere illis, quibus talia bona, reali onere sunt obligata.

#### CAPITULUM I.

#### Sancitum.

##### PARAPHRASIS.

Statutum fuit in Concilio apud Wormatiam, ut unicuique Ecclesiae manus unus integer tribuatur, absque ulla servitij ejusdem temporalis praestandi obligatione, ita, ut presbyteri in illis constituti, neque decimas debeant, de domi-

#### SUMMARIUM.

1. Quid nomine mansi hic intelligatur, quem jura liberum ab onere temporali volumus?
2. Non obligantur Ecclesiae presbyteri ex hoc manso ad servitia temporalia praestanda; obligantur tamen ad Ecclesiastica.
3. Casus, quo talia bona in necessarium Ecclesiae dosim data alijs sint realiter obligata.